



PRAEDICAMEN-

TA SCOTI.

DE RELATIONE.

QVÆSTIO I.

An genus relationis sit genus unum?

Ad aliquid vero talia dicuntur: quæcumque hoc ipsum, quod sunt, aliarum dicuntur: vel quemodolibet aliter ad aliud, cap. de ad aliquid,



QVAERITVR primo an genus relationis sit genus unum? quod non videtur: enti & non enti non est genus unum commune uniuocum: sed aliquæ sunt relationes entes; & aliquæ non entes: ergo, &c. Probatio secundæ partis minoris: inter ens & non ens est contradictio, quæ est relatio media, quæ videtur non ens: tum, quia inter contradictoria nihil est medium: & talis relatio est medium inter contradictoria: igitur non est aliquid: tum, quia illa oppositio potest esse in non ente; vt in subiecto: sed accidens, quod est in non ente; vt in subiecto; non potest esse ens.

Dicitur ad hanc secundam probationem: quod hæc oppositio tantum est in ente; vt in subiecto, secundum quod videtur haberi ex Commentatore 6. Metaph.

Cap. vii.

Contra: Relatiuum æquiparantiæ æqualiter denominat vtrumque extremum in comparatione ad aliud: quod

manifestum est in proposito: quia æque verum est dicere: non ens opponitur enti: sicut ens opponitur non enti: ergo talis relatio æqualiter potest esse in vtroque extremo; vt in subiecto.

Ad principale; enti rationis, & enti naturæ, nihil est uniuocum: sed quædam relationes sunt entia naturæ; vt paternitas, & filiatio; quæ essent intellectu non existere: quædam vero sunt entia rationis: probatur: tum, quia relatio non habet verius esse; quæ subiectum, super quod fundatur: & multæ relationes fundantur super res rationis: vt relatio generis ad species, &c. huiusmodi igitur relationes sunt tantum entia rationis. Tum, quia omnis relatio requirit duo extrema: igitur cuius relationis extrema non sunt duo; nisi secundum rationem; est tantum ens rationis: talis relatio est identitas: secundum quod dicitur 5. Metaph. cap. de eodem: intellectus in illa relatione utitur vno, vt duobus.

Item ad principale: Ad aliquid sunt, secundum Aristot. quorum esse est ad aliud se habere: istud inest omnibus; quæ sunt ad aliquid; per se primo modo: igitur per naturam alicuius uniuocis: illud non est, nisi generalissimum relationis: igitur generalissimum relationis; hoc ipsum, quod est; ad aliud se habet: non ad aliquid prius; nec posterius: quia relatiua sunt simul natura:

Tex. nõ habente commentum.

Hic in littera.

tur non ad æquale: quia sic, essent duo generalissima. Quod etiam generalissimum se habet ad aliud; patet ex ipso nomine: dicitur enim ab Arist. ad aliquid: & non potest concipi ad aliquid non esse ad aliud, nisi contradictorium dicatur de contradictorio.

Hic, & 5. Metaphys. com. 20. & alibi saepe.

Item, ad principale: cuiuslibet & vnius generis sunt tantum duæ species primæ: sed generalissimi relationis non sunt tantum duæ primæ species: igitur generalissimum relationis non est unum: probatio minoris: quia si sic, sint A. & B. relatiua: aut igitur refertur A. sibi, & B. sibi: & tunc ambo sunt relatiua æquiparantiæ: igitur, & omnia inferiora: & ita relatiuum suppositionis, & superpositio nis erunt in alio generalissimo. Aut A. refertur ad B. & e conuerso, & si hoc: igitur species eorum referuntur adinuicem; quia per Aristot. in quarto Topicorum: si genus ad genus: & species ad speciem: & similiter in secundo, si ad propositum sequitur propositum: ad relatiue oppositum antecedentis sequitur relatiuum oppositum consequentis: & non est intelligendum, nisi de consequentia superioris ad inferius. Si autem A. & B. referantur sibi mutuo: igitur omnia relatiua sunt relatiua suppositionis, & superpositionis: igitur relatiua æquiparantiæ erunt in alio genere generalissimo. Aut tertio, quod A. refertur ad aliud, & non ad B. vt ad C. & B. refertur ad aliud, & non ad A. vt ad D. & tunc sequitur, quod C. & D. non sunt priores, nec posteriores, quam A. & B. quia vtrumque est æque primum cum suo correlatiuo: quia sunt simul natura: igitur erunt quatuor primæ species vnius generis. Aut quarto, A. refertur sibi, & B. alij: vel B. sibi, & A. alij, & vtroque modo erunt tres primæ species huius generis: quia illud aliud, ad quod refertur A. vel B. est æque primum cum suo correlatiuo: nullo igitur istorum quatuor dato, erit hoc genus unum.

Ad oppositum est Aristoteles.

Dicendum: quod generalissimum in genere relationis est unum: quia secundum vnam rationem dicitur de omnibus suis inferioribus, quæ ratio est habitudo vnius ad aliud: quia omnes relationes habent eundem modum denominationis substantiam: videlicet, in comparatione ad aliud: & accidentia, quæ eo-

dem modo denominant substantia, sunt vnius generis.

Ad primum argumentum: ad minorem dico: quod nulla relatio est non ens. Cum probatur oppositum de contradictione: ad primam probationem, quod illud, inter contradictoria non est medium: intelligendum est de his, quæ subsunt intentioni contradictionis: vt complexis: sic, de quolibet subiecto vno est prædicatum affirmare, vel negare: & non est medium, de incomplexis etiam sic, alterum illorum dicitur de quolibet: & non est medium. Sed alia propositio, scilicet, quod talis relatio est media inter contradictoria: intelligenda est ratione intentionum: & tunc cum concluditur conclusio, fit fallacia accidentis: quia medium sumitur extraneæ in præmissis: hoc, scilicet, quod est medium esse inter contradictoria. Istud patet in exemplo: ens & non ens non referuntur per se ad inuicem: & inter ista absolute nihil est medium, sed ista; in quantum contradictoria, referuntur: & sic, inter ista est contradictio media: sicut inter similia est similitudo media: & inter quæcunque relatiua est relatio media.

Ad aliam probationem concedo: quod illa relatio potest esse in non ente, vt in subiecto: sicut & in ente, non est tamen; in quantum est subiectum illius relationis, est ens rationis: & ita talis relatio potest esse ens rationis.

Ad secundum principale nego maiorem: & concedo: quod relatio dicitur ens rationis: vel quia vtrumque extremum, vel alterum, est solummodo ens rationis: vel quia extrema eius non sunt duo, nisi secundum rationis considerationem: vt est in identitate.

Potest tamen maior vtriusque rationis sic probari: non omni enti est aliquid uniuocum: nec etiam omni enti naturæ est aliquid uniuocum: igitur multo magis nec aliquid erit uniuocum enti, & non enti; siue enti naturæ, & enti rationis: quia si illis, quæ magis videntur conuenire, nihil est uniuocum; nec illis, quæ minus.

Et ad hanc probationem, secundum quod est pro secunda ratione dicendum: quod consequentia non valet, nec est ibi locus à maiori: quia non omnia entia naturæ plus conueniunt in aliquo uniuoco, quam ens naturæ, & ens rationis: nisi

Bb 5 sifor

si forte in pluribus dictis de eis æquiuoce.

Sed quia de oppositione, quæ est inter ens & non ens; est absolutum verum dicere, quod est non ens: quia aliter esset medium inter ens, & non ens: & quia est in non ente simpliciter, ut in subiecto: idè non videtur ponenda in genere relationis: cum ens secundum se diuidatur indece in genera generalissima: quia etiam, licet aliquid sit vniuocum enti naturæ, & enti rationis, hoc est enti, quod est in ratione: ut scientiæ, & virtuti est aliquid vniuocum: tamen enti, quod est ex sola consideratione rationis, & enti naturæ, nihil videtur vniuocum: quia tunc haberent oppositionem: quia omnia vniuocè contenta sub aliquo eodem, ut species; differunt differentijs contrarijs: & ita non possunt talia entia rationis applicari cuilibet enti naturæ, quod est falsum.

Idè videtur dicendum ad duas primas rationes aliter. Ad primam concedo: quod contradictio inter ens, & non ens est non ens simpliciter: sed non est species in genere relationis.

Ad secundam similiter concedo maiorem, dicendo ad minorem: quod nulla relatio rationis est species in genere relationis, nec identitas, nec relationes fundatæ super intentiones secundas, nec alia confimiles.

Contra ista: ad aliquid sunt, quorum hoc ipsum esse est ad aliud se habere: hæc est vera notificatio relatiuorum secundum Aristot. ista inest contradictio: quia hoc ipsum, quod est, est contradictorijs contradictorium, & idem: quia idem, hoc ipsum, quod est; est eidem idem: & sic de relatiuis intentionalibus, & confimilibus: ut genus, hoc ipsum, quod est, est speciei genus: quod de omnibus ostenditur per hoc: quia indiffinitionibus eorum ponenda sunt sua correlatiua: ut manifeste dicit Porphyrius de genere, & specie: quod non oportet; nisi dependerent adinuicem essentialiter: omnia igitur prædicta sunt verè relatiua: igitur & formæ, secundum quas dicuntur talia, sunt verè relationes, quod negatum est.

Item, ista in nullo alio genere videntur esse, nisi in genere relationis: & in conueniens videtur concedere illa esse in nullo genere.

Item, si contradictio inter ens, & non ens non sit in genere relationis: quare, de alia contradictione, quæ est inter alia extrema; vtrum illa sit in genere relationis? si sic, contradictio non inest omnibus vniuocè: quod est inconueniens, cum contradictionis vniuersaliter sumptæ assignetur eadem diffinitio in primo Posteriorum: scilicet, contradictio est oppositio, cuius non est medium secundum se. Si autem contradictio inter alia extrema non sit in genere relationis: & ita nulla contradictio, & contrarietas est in genere relationis: ut manifestum est: quia est per se habitudo verè duorum entium: igitur oppositio non erit vniuocum contradictioni, & contrarietati, quod videtur contra Boetium in illo capitulo inferius: Quotiens autem solet opponi, qui diuidit oppositionem in has quatuor species oppositionis, sicut genus in species: imo sequitur maius inconueniens, quod oppositio inconuenienter ponatur in diffinitione contradictionis in primo Posteriorum: quia oppositio sumpta secundum illam significationem, secundum quam conuenit contradictioni, aut est idem contradictioni, aut superius ea: si idem, frustra additur illud in diffinitione, cuius non est medium secundum se. Si superius, sequitur aliud inconueniens: quia oppositio secundum illum modum accipiendi per se determinata ad contradictionem non habet sub se alia inferiora à contradictione, nisi alias species oppositionis, sed alia sunt entes: & contradictio non ens: & tunc aliquid erit vniuocum enti, & non enti, quod negatum est.

Ad primum istorum potest dici, quod vera notificatio relatiuorum, quam ponit Aristot. nulli illorum conuenit: quia nullius eorum esse est ad aliud se habere, aliud enim est differentia entis, & dicitur tantum in comparatione ad ens: non enim dicitur aliquid, aliud, à non ente: nunc prædicta, vel eorum correlatiua sunt non entia simpliciter loquendo; & idè nullius eorum esse est ad aliud se habere, nisi forte secundum rationem: sicut ista & sua correlatiua sunt entia.

Et si arguatur: contradictorijs esse est ad aliud secundum rationem, scilicet ad contradictorium se habere: igitur est ad aliud se habere, est fallacia secundum quid & sim-

Text. 5.

& simpliciter. Quod dicitur, quod in diffinitionibus istorum ponuntur sua correlatiua: dico, quod nullum istorum habet veram diffinitionem exprimentem quid est res: licet habeat rationem exprimentem quid dicitur per nomen, vel illud, quod intellectus concipit de istis, quæ ratio, licet sit diffinitio eorum simpliciter, non tamen est diffinitio simpliciter.

Ad secundum dico: quod non est inconueniens concedere, illa non esse in aliquo genere generalissimo, ut species: si tamen debeant poni in genere per reductionem; maxime ponenda sunt in genere relationis: quia plus speciebus eius assimilantur, sicut forte omnia intentionalia sunt in genere per reductionem: & hoc in illo, cuius speciebus maxime assimilantur in modo prædicandi.

Ad tertium concedo: quod oppositio non sit vniuoca contradictioni, & contrarietati. Cum assumitur à Boetio, quod diuisio oppositionis in ista quatuor est diuisio generis in species: hoc potest intelligi generis; id est, generalis: quia diuisum secundum aliquem modum prædicatur de diuidente: & idè per hoc distinguitur hæc diuisio à diuisione totius in partes.

Vel sic: quod illud sic intelligatur, pro aliquibus diuidentibus, non pro omnibus: quia contrarietas, & oppositio relatiua sunt species oppositionis sumptæ secundum vnâ significationem, secundum quam est genus intermedium in genere relationis: licet contradictio non sit species eius, ut sic sumitur. Per hoc, ad illud de libro Posteriorum dico, quod diffinitio contradictionis est bene assignata: & quod oppositio secundum illam significationem, secundum quam conuenit contradictioni; non est omnino idem illi, sed superius, & habet aliud inferius; videlicet priuatam oppositionem: quia tam illa, quam contradictio, vel est non ens, ut subiecti, vel ut termini, quorum vtrunque oportet esse ens ad hoc, quod relatio esset ens.

Ex his sequitur: quod oppositio in vno sensu sumpta dicitur de contrarietate, & relatiua oppositione vniuocè, & in alio sensu dicitur vniuocè de contradictione, & priuatiua oppositione.

Ad tertium dicitur: quod generalissi-

imum relationis non est ad aliquid nec, aliquid, quod est in illo genere per se, sed ipsum generalissimum est habitudo vnus ad aliud, & ita omnia, quæ sunt in genere relationis.

Ad illam probationem in contrarium dicitur: quod illa diffinitio non datur de relatione; sed de relatiuis. Similiter hoc nomen, ad aliquid, est concretue dictum à relatione; & non relatio, nisi sic intelligatur, ad aliquid; id est, habitudo ad aliquid. Per hoc similiter ad quartam rationem principalem: quod prima species relationis non referuntur adinuicem sibi, nec alij: sed sunt principia referendi: sicut & omnia alia, quæ sunt in genere relationis.

Contra istas duas responsiones: ex his sequitur, quod neutra diffinitio, quam ponit Aristot. esset eorum, quæ sunt in genere relationis: nec etiam aliqua proprietas, quam ipse assignat: & ita omnis determinatio Aristot. esset impertinens ad genus relationis: consequentia prima patet inducendo in singulis proprietatibus, quas ponit Aristot. quarum nulla conuenit relationibus, sed relatiuis.

Item, oppositum non est principium sui oppositi: igitur forma absoluta non est principium, secundum quod aliquid dicitur comparatum ad aliud, sed relatio est huiusmodi forma: igitur non est absoluta in se: igitur est ad aliud.

Item, concessio eo, quod dicitur, non vitatur difficultas argumentorum principalium: quia si generalissimum in abstracto sit relatio: aliquid secundum eam dicitur relatiue ad aliud: probatio huius: tum, quia secundum qualitatem, secundum quod est generalissimum, dicuntur quales secundum Aristot. quia sic notificat qualitatem: igitur secundum relationem, ut est generalissimum, dicuntur aliqua relatiua. Tum quia secundum relationes inferiores in genere relationis dicuntur aliqua relatiua: omne autem in hærens per se primo cuiuslibet speciei vniuocè in hæret per naturam generis: & ita generi primo: igitur secundum generalissimum dicitur aliquid relatiue.

Ex hoc arguo, aut relatiuum dictum secundum formam generalissimi dicitur ad aliquid secundum aliam formam, aut eandem, si eandem: igitur relatiuum æquiparantur: igitur & relatio illa est relatio

Capit. de Qualitate.

Hic in littera.

Cap. de Specie.